

de credere, Lamin, aut Clementem esse verum Petri successorem, quia non tenentur ex fide Catholica credere, sed...

102 Affirmativa tamen sententia communior est inter Theologos, cumque ex Thomis expressè docent Joannes a S. Thoma 2. 2. Tractatu de Summo Pontifice disput. 2. art. 2. & Dominicus a S. Trinitate tomo 3. Bibliotheca Theologica lib. 3. sect. 4. cap. 10 ubi eruditè hanc questionem pertractat...

§. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

103 Dico primo: Fidei divisa constat, Romanum Pontificem pro tempore existentem, esse legitimum Petri successorem, & verum Christi Vicarium, quando aliquid definit fide divina credendum.

Probatur: Cum Pontifex definit aliquid fidei divina credendum, de fide est ipsum tunc habere potestatem definiendi, & infallibilem assentientiam Spiritus Sancti: Ergo & tunc fidei divina constat, ipsum esse verum Pontificem. Consequenter patet, quia huiusmodi potestas & assentientia non datur nisi vero Pontifici, cui soli est promissa in persona Petri, cuius est successor: Christus enim non collibet, sed Petro tantum & legitimis successoribus dixit: Tu es Petrus, &c. regis pro te, &c. Passerimus, &c. Matthai 16. Lucae 22. Joh. 21. Antecedens etiam videtur manifestum, cum enim Pontifex definit aliquid tamquam de fide tenendum, impossibile est quod fidei credamus illud obiectum tamquam definitum, & non credamus ipsam definitionem esse legitimam, & consequenter ipsum definitentem hic & nunc infallibilem auctoritatem & assentientiam Spiritus Sancti habere.

104 Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Cum Pontifex definit aliquid fidei divina credendum, eo ipso seipsum proponit tamquam regulam fidei nostræ: Ergo tunc fidei divina constat, ipsam esse verum Pontificem. Antecedens manifestum est: Pontifex enim, definiendo aliquid ad fidem pertinens, seipsum proponit tamquam iudicem legitimum controversarum fidei, subindeque tamquam veram regulam doctrinæ nostræ fidei. Consequenter vero probatur: Quando aliquid est regula fidei, non minus credibile per fidem esse debet, quod sit regula quam quod sit de fide id quod determinatur & regulatur per illam: sicut quando proponitur aliquis Scripturæ liber tamquam canonicus, quemadmodum est de fide totum id quod in eo continetur, ita quæque est de fide quod talis liber sit canonicus, & per revelationem Dei habitus, alias certi nunquam esse possemus de rebus definitis, & traditis in libro Sacro, ut per se patet: Ergo si cum Pontifex aliquid fidei divina credendum definit, eo ipso seipsum tamquam regulam fidei nostræ proponit, ad eandem quæque fidem tamquam quid credibile per illam spectare debet, illum esse verum Pontificem. Neque enim minus id requiritur in regula fidei viva, quam in regula mortua.

105 Dices, Licet Prædicatores Evangelii nobis res fidei credendas proponant, non tamen fidei tenemur credere, quod sint legitimi Evangelii Prædicatores: Ergo pariter quamvis Pontifex aliquid de fide credendum nobis proponat, non tenemur fidei divina credere, ipsum esse verum Pontificem, & legitimum Christi Vicarium, ac Petri successorem, sed sufficit quod fidem humanam & moralem certitudinem de hoc habeamus.

Sed contra: Hoc intercedit discrimen inter Summum Pontificem res fidei sua definitione credendas proponentem, & inter ministrum Evangelicum illas prædicantem quod ille non se habet tamquam regula determinativam rerum fidei, sed ut ministrum dumtaxat intimans & denuntiatis aliis quæ credenda sunt: unde nec tenemur credere ipsum esse verum ac legitimum ministrum, nec illi qui credunt rebus ad eo propositis, moventur ad hoc ex illius auctoritate, sed ex credibilitate eorum quæ proponuntur; ita ut nisi sufficienter proponantur, talique credibilitas eis innotescat credere non tenentur. At vero Summus Pontifex proponit res credendas, tamquam animata fidei regula, vel supremum iudex determinans quam credenda sint, ita ut ex eius auctoritate obligentur fideles ad illas credendas: unde necesse est ut illi non morali solum certitudine, cui absolute falsum subesse potest, verum etiam certitudine fidei, hunc numero Pontificem

pro tempore existentem ac Ecclesiam regentem, verum esse illum Pontificem, & legitimum Christi Vicarium ac Petri successorem credant.

Dico secundo: de fide est, etiam immediate, hinc hominem in particulari, v. g. Innocentium XI. esse verum Papam, non solum ab eo tempore quo aliquid de fide determinavit, & Ecclesiam credendum proposuit, sed etiam ab illo quo eius electionem fuisse validam declaravit Ecclesia.

Probatur primo: Ab eo tempore de fide est immediate, hunc hominem in particulari esse veram regulam fidei nostræ, subindeque verum Papam a quo acceptatus est ab Ecclesia in talem regulam: Sed a tempore a quo eius electio valida declaratur ab Ecclesia, acceptatur ab ea in regulam fidei nostræ: Ergo ab eo tempore de fide est immediate quod sit verus Papa. Minor constat, Major vero probatur: de fide est etiam immediate quod Ecclesia errare non possit in acceptanda regula fidei nostræ, alias enim non esset de fide immediate quod esset consequenter indefectibilis in acceptandis rebus fidei regulatis per talem regulam: Ergo ab eo tempore quo Ecclesia hunc numero hominem acceptat in regulam fidei nostræ, de fide est etiam immediate quod sit vere talis regula.

Probatur secundo: De fide credimus hanc numero Ecclesiam in qua modo sumus esse veram & perfectam Ecclesiam: sed facta electione pacifica, & acceptata, non potest haberi pro vera & perfecta Ecclesia illa quæ non fuerit unita cum suo capite visibili, eique subiecta: Ergo oportet quod sicut est de fide, hanc numero Ecclesiam esse veram & perfectam Ecclesiam, ita sit de fide, facta legitima electione, quod iste homo, cui tamquam capiti suo unitur, sit vere caput Ecclesie, & Summus Pontifex.

Nec dici potest, quod sit tantum de fide in Ecclesiam esse caput aliquod visibile, non tamen hoc determinate & in particulari; sed hoc, aut illud, confute, & indeterminate. Sicut enim nequit intelligi Ecclesia in communi, absque aliquo capite in communi; ita neque hæc determinata Ecclesia, absque determinato capite: nam hæc determinata Ecclesia ita includit hoc determinatum caput morale, sicut hoc determinatum corpus physicum includit hoc determinatum caput physicum: Ergo sicut qui credit, Christum habere determinatum corpus physicum, fieri non potest, quin simul credat Christum habere determinatum caput physicum: ita qui credit hanc esse determinatam Ecclesiam, debet simul credere hanc Ecclesiam habere determinatum caput morale, quo mystice constat. Unde in bulla Martini V. quæ habetur in Concilio Constantiensi, inter eas interrogationes quæ faciende sunt suspensis in fide, ad indagandum, an sint heretici vel non? ponitur ista: Urnum credant quod Papa canonicus electus, qui pro tempore fuerit, eius proprio nomine expressè, sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei? Quæ verba intelligi nequeunt de veritate illius propositionis in communi, quod omnis rite electus est Summus Pontifex, vel quod Ecclesia aliquid caput visibile habere debeat, sed in particulari de eo qui pro tempore est Pontifex, exprimitur nomen proprium, v. g. Innocentium XI. Supponit ergo Pontifex, hanc divinam credendum esse, hunc hominem in particulari, quem tota Ecclesia tamquam legitime electum agnoscit, & recipit, esse Summum Pontificem: utpote cum per negationem vel affirmationem illius quod est tantum de fide humana, discerni nequeat hæreticus a Catholico, & cum admittere id quod per se ipsum ex principiis fidei divina creditur interit, non sit credere, ut in disputatione premissa ad totam Theologiam, declaravimus.

§. III.

Solvuntur objectiones.

106 Obijcies primo: Ut aliquid sit immediate de fide: Sed non est immediate revelatum a Deo quod Innocentius XI. sit verus Papa: Ergo hoc non est immediate de fide. Major constat. Minor vero probatur. Quæ immediate a Deo revelata sunt, habentur vel in Scriptura vel in traditione: At nullus Scripturæ locus, nec ulla traditio divina assignari potest, quæ mentionem faciat illius propositionis: Innocentius XI. est verus Papa: Ergo illa non est immediate revelata a Deo.

Respondet, concessa Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico, hanc veritatem immediate a Deo revelatam fuisse, revelatione illa universalis, quæ ex una parte Deus revelavit quod potestas Summa Petro collata, transitur ad successores legitimos, & ex alia Ecclesiam universalem nunquam in rebus fidei erraturam, cum sit columna & firmamentum veritatis: in illis enim propositionibus universalibus a Deo relatis continetur formaliter, & ut pars in suo toto, ista: Hic numero Pontifex, quem ut rite electum acceptat Ecclesia, est verus Pontifex.

Ut hoc

111 Ut hoc magis declaratur, & solvatur instantia quæ posset fieri contra hanc solutionem: Notandum est cum P. Dominico a S. Trinitate, supra citato: aliqua revelata fuisse a Deo in genere, ad hoc ut crederentur in genere, cuiusmodi sunt, Deum omnia posse quæ non involvant contradictionem, & similia: hæc enim fideles non tenentur credere in individuo, v. g. nemo tenetur ad credendum quod Deus possit talem vel talem creaturam producere; sed sufficit quod in communi & generaliter credat, Dei potentiam esse infinitam, & ad id omne quod factibile esse posse se extendere. Alia vero Deus revelavit in genere, ad hoc ut crederentur in specie & in individuo, huiusmodi sunt ista: Quodlibet universale Concilium legitime congregatum, totamque Ecclesiam representans, verum est, & obligat fideles ut eius definitiones recipiant. Quilibet Pontifex rite electus, & ab Ecclesia acceptatus, verus est Pontifex, successor Petri, ac Vicarius Christi. Hæc enim generales revelationes obligant fideles ad assensum individualem circa tale Concilium in particulari ab Ecclesia receptum, v. g. Nicanum, vel Tridentinum, & ad credendum hunc numero Pontificem rite electum, & ab Ecclesia acceptatum, v. g. Innocentium XI. esse verum Pontificem; quia universalis Ecclesia acceptatio substituitur collectioni omnium revelationum individualium, quas non expediebat Deum facere: vel ut ait prædictus Auctor, vox Ecclesia est quasi nova quedam locutio Dei, vel potius explicatio & complementum locutionis divinæ, per quam intelligitur ipsemet Deus revelare hoc obiectum in individuo, quod nimirum hic numero Pontifex rite electus, sit verus Pontifex.

112 Obijcies secundo: Ut sit de fide immediate, hunc numero hominem esse verum Papam, debet esse certum quod sit capax talis dignitatis: Sed non est certum talem hominem esse subiectum capax Pontificie dignitatis: Ergo non est de fide, saltem immediate, quod sit verus Papa. Major constat, Minor vero probatur. Ut electus in Summum Pontificem sit capax huius dignitatis, debet esse valide baptizatus: Sed non est certum tali certitudine cui non possit subesse falsum, quod fuerit valide baptizatus, maxime cum non habeatur certitudo de intentione ministri qui ipsum baptizavit: Ergo non est certum tali certitudine cui non possit subesse falsum, talem hominem esse subiectum capax Pontificie dignitatis.

113 Confirmatur: Si in Papam eligatur aliquis qui non est Episcopus, consequenter ad sui electionem consecratur in Episcopum; non est autem magis certum, eum in tali consecratione suscipere characterem Episcopalem, quam reliquos Episcopos: Ergo sicut hoc non est certum tali certitudine cui non possit subesse falsum de aliis Episcopis, ita nec de eo qui electus est in Summum Pontificem, & acceptatus ab Ecclesia.

114 Respondet ad objectionem, distinguendo Majorem: Ut sit certum de fide immediate quod hic numero homo est verus Papa, debet esse certum quod sit capax talis dignitatis, certitudine fidei, nego: hoc enim se habet dumtaxat per modum prærequisiti & dispositionis ut aliquis acceptetur in Summum Pontificem ab Ecclesia. Certitudine consequentis Theologicæ, subsistinguo: Consequenter ad ipsam acceptationem Ecclesie, conceditur. Antecedenter ad illam, negatur: tunc enim sola morali certitudine hoc certum est.

115 Explicatur solutio. Antequam aliquis acceptetur ab Ecclesia in Summum Pontificem, non nisi morali certitudine constat Ecclesie; quod sit subiectum capax talis dignitatis, quod sit valide baptizatus &c. quia tamen hæc conditio necessarium habet connexionem cum ista propositione: Acceptatus ab Ecclesia in Summum Pontificem, est verus Papa, sit inde quod consequenter ad acceptationem Ecclesie certum sit, certitudine non quidem fidei immediate, sed conclusionis Theologicæ, quod acceptatus sit vere baptizatus, & subiectum capax Pontificie dignitatis; quæ enim connexionem necessariam habent cum veritate de fide, non sunt quidem immediate de fide, ut patet de rehabilitate Christi, necessario connexa cum ipsius humanitate, sed tamen recte per consequentiam Theologicam ex ea inferantur. Et per hoc patet ad confirmationem, negatur enim consequentia & paritas. Ratio disparitatis est, quia cum alii Episcopi non sint regula suprema fidei, subindeque nec ut tales acceptentur ab Ecclesia, quod sint valide consecrati, non est aliquid necessarium connexionem habens cum veritate fidei, sicut necessarium connexionem habet cum veritate fidei, quod acceptatus ab Ecclesia per regula supraam fidei, sit vel fuerit valide consecratus in Episcopum.

116 Obijcies tertio: Qui negaret hunc numero Romanum Pontificem esse Petri successorem, modo non negaret legitime electum esse Petri successorem, non esset hæreticus, sed tantum schismaticus: Ergo non est de fide hunc numero Romanum Pontificem, v. g. Innocentium XI. esse verum Papam, ac legitimum Petri successorem.

117 Respondet aliqui, negando Antecedens: Cum enim

ille qui negaret Innocentium XI. esse verum Pontificem ac legitimum Petri successorem, non solum scinderet unitatem Ecclesie dividendo eam a suo capite visibili, sed etiam negaret habendum per regula fidei illum quem Ecclesia acceptavit pro tali regula, schismaticum dogma contrarium fidei superadderet, nimirum quod Ecclesia errare possit in rebus ad fidem pertinentibus. Unde tunc maxime haberet locum id quod docet D. Hieronymus super caput 3. ad Titum, & post ipsum D. Thomas a. 2. q. 39. art. 1. ad 3. Nullum schismaticum esse, quod non sibi aliquam hæresim conjungat, ut velle ab Ecclesia recessisse, & datur. Hæc solutio probabilitate non caret. Communiter tamen alii respondent, quod ille qui negaret hunc numero Romanum Pontificem, esse verum Papam, non haberetur pro hæretico, sed tantum pro schismatico; quia non constat inter omnes Catholicos id esse de fide, sed plures id negant, exillimantes morali tantum certitudine id constare.

Obijcies quarto: Si quæ esset ratio ob quam de fide divina, etiam immediate verum esset hunc hominem in particulari, esse verum Papam, maxime certitudo, quæ de illa veritate necessaria est Ecclesie: Sed certitudo quæ necessaria est Ecclesie de tali veritate, non requirit quod sit immediate de fide: Ergo &c. Major constat, Minor vero probatur. Non minus necessaria est Ecclesie certitudo validitatis Sacramentorum in particulari, v. g. huius numero Baptismi, huius numero Eucharistie, quam certitudo huius numero Papæ; æque enim illa videtur necessaria ad salutem ac ista: Sed non est de fide hoc numero Baptisma esse validum, hanc numero Eucharistiam sive hostiam esse consecratam. Ergo idem dicendum est de hoc numero Pontifice.

Confirmatur: Sicut necessarium est ad bonam gubernationem Ecclesie, quod sit summus Pontifex; ita necessarium est quod sint alii veri Prælati, Episcopi, & Archiepiscopi: Sed ad bonam gubernationem Ecclesie sufficit, quod de istis in particulari moralem certitudinem habeamus, quæ est secundum prudentiam humanam: Ergo & de Summo Pontifice particulari.

Respondet negando Minorem, ad cuius probationem in primis dico, quod si daretur unica solum hostia rite consecrata successive, quæ ab universali Ecclesia deberet adorari, sicut datur successive unicuique Pontifex legitime electus, cui tamquam capiti debet miri; auctoritate Ecclesie nobis constaret de fide, non solum sub omni hostia rite consecrata, sed etiam sub hac in particulari contineri verum Christi corpus; sicut eisdem auctoritate constat nobis, non solum in communi omnem Pontificem rite electum esse verum Pontificem, sed etiam hunc numero pro tempore existentem, ubi semel illum tamquam legitime & canonicè electum acceptavit.

Respondet rursus negando paritatem in Majori contentam: Ratio vero disparitatis est, quia hoc numero Baptisma, vel hæc numero hostia, non est regula fidei, sicut hic homo in particulari, cuius electio in Summum Pontificem valida acceptatur & declaratur ab Ecclesia: hinc enim fit quod major debeat esse certitudo istius propositionis: Innocentius XI. est verus Papa, quam illius, Hæc numero hostia est vere consecrata; immo quod debeat esse certitudo fidei, alias enim impossibile esset concipere quod ea quæ per talem regulam definiuntur, sint certa certitudine fidei. Et per hoc patet ad confirmationem, alii enim Prælati non sunt, sicut Summus Pontifex, regula infallibilis nostræ fidei.

Dices hoc numero Concilium generale, Nicanum v. g. 121 est regula infallibilis fidei utpote cum omnia ad fidem pertinentia, quæ in eo sunt determinata, sint immediate de fide, & tamen quod fuerit verum Concilium, non pertinet, immediate saltem, ad fidem; quia hoc dependet ex historiis dicentibus illud Concilium revera existisse aliquando, & fuisse legitime congregatum: quæ historia cum sint pure humane, nequeunt causare assensum fidei divinæ, sed solum humane: Ergo similiter, licet hic numero Pontifex sit regula infallibilis fidei nostræ, non tamen sequitur quod sit immediate de fide, eum esse verum Papam.

Respondet negando secundam partem Antecedentis, 122 ut enim veritates definite in Concilio Nicano sint immediate de fide, oportet quod fideles certi sint certitudine fidei de earum revelatione, subindeque & de legitima ipsarum definitione, quandoquidem ideo solum de revelatione alicuius veritatis certi sumus, quia Ecclesia, si ve Concilium generale, legitime declarat & determinat illam esse revelatam, legitime autem omnino est, quod certitudinem fidei divinæ habeamus de definitione legitima alicuius veritatis, nisi eandem certitudinem habeamus de existentia & auctoritate Concilii a quo determinata fuit. De fide ergo est, etiam immediate, Concilium Nicanum fuisse verum Concilium. Ad probationem in contrarium, nego quod veritas Concilii Nicanum dependeat ab historiis pure humanis, dependet enim ex successiva & continua traditione ipsius Ecclesie, quæ licet histori-

ca sit,

ca sit, non tamen pare homana; quia Ecclesia in ejusmodi traditione specialiter & infallibiliter a Spiritu Sancto dirigitur, sicut in aliis rebus ad fidem pertinentibus.

Objicies ultimo: Non est de fide, saltem immediate, quod electio hujus numero Pontificis fuerit valida: Ergo nec quod ipsa sit verus Papa. Consequentia patet, cum enim non sit verus Papa, nisi sit legitime electus, ut sit immediate de fide quod sit verus Papa, debet esse immediate de fide quod fuerit legitime electus. Antecedens vero probatur. Non est de fide, saltem immediate, istos numero electores talis in particulari Pontificis, esse legitimos & veros Cardinales, habuisse validam intentionem eligendi, servatam fuisse formam juridicam electionis, in eo consistentem, quod a duobus partibus Cardinalium, qui dicitur Pontifex, sit electus: has, inquam, & alias circumstantias, sine quibus electio est nulla, servatas fuisse, non est de fide; quandoquidem id non constat Ecclesie ex aliqua speciali revelatione, ex Scriptura, vel traditione divina, sed solum ex testimonio ipsorum electorum promulgantium electionem.

Respondeo, concessio Antecedente negando Consequentiam. quamvis enim non sit verus Papa, nisi sit legitime electus, quia tamen legitima electio est quid praequiritur ad eam definitionem qua Ecclesia declarat hunc numero hominem esse verum Papam, & fides non versatur circa ea quae ad definitionem praequiruntur, sed solum circa ipsam definitionem: illa propositio, Innocentius XI. *rite electus est in summum Pontificem*, non est immediate de fide, sed solum illa, *Innocentius XI. est verus summus Pontifex*. Quod explicatur a simili: sicut enim in definitionibus Summi Pontificis, fides non est de his quae ad tales definitiones praequiruntur, videlicet de eo quod praecesserit diligens inquisitio aut disputatio circa propositiones definitas, sed solum facta definitione recte intertulerit per consequentiam Theologicam, omnia praequisita ad definitionem posita fuisse, atque disputatorem & inquisitionem diligentem, eam praecessisse; fides vero ipsa est dumtaxat de ipsis definitionibus. Ita in definitione siue declaratione Innocentii XI. in summum Pontificem, ab Ecclesia facta, id quod immediate est de fide non est aliquid ex praequisitis ad eam, quale est quod fuerit legitime electus, sed solum ipsa definitio, seu declaratio, & illud quod per eam declaratur; nimirum Innocentium XI. esse verum Pontificem, quamvis ex hoc recte intertulerit per consequentiam Theologicam, electionem talis Pontificis fuisse validam; subindeque ista propositio, *Innocentius XI. rite electus est in summum Pontificem*, sit certa certitudine Theologica, cui non potest subesse falsum.

ARTICULUS V.

Sacra successiois Romanorum Pontificum series.

AD complementum hujus disputationis, placuit sacra successiois Romanorum Pontificum seriem proponere. tum ad solvenda aliqua sectariorum argumenta contra illam fieri solita, tum maxime, quia hac successio tantum semper estimata est a SS. Patribus, ut D. Hieronymus contra Luciferianos cap. 9. veram esse Ecclesiam asserget, in qua Apostolica hac successio viget: *in illa, inquit, Ecclesia permanendum est, quae ab Apostolis fundata usque ad hanc diem durat*; Augustinus etiam passim & copiose hanc doctrinam tradit, praesertim in Palmo contra partem Donati, ubi sic ait: *Numerate sacerdotes, vel ab ipsa Sede Petri, & in ordine illo parvum, qui tunc successio videtur: ipsa est Petra quam non vincunt superba insularum portae*. Unde Epist. 163. ad Generosum ad hunc finem enumerat Pontifices Romanos a Petro ad Anastasium qui tunc sedebat. Demum in libro contra Epistolam fundamenti c. 4. *Tene me, inquit, ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui postea ovae sunt post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum, successio sacerdotum*. Quod si hoc asserit S. Doctor de continua quadraginta tantum Pontificum, qui usque ad ejus tempora numerabantur, successione, quid si illam vidisset protractam supra numerum ducentorum triginta quinque Pontificum & a D. Petro Apostolorum Principe, usque ad Innocentium XI. qui nunc feliciter Ecclesiam regit, durasse? Ceterum cum innumeri fere historici tam electionis quam obitus uniuscujusque Pontificis, nec non res ab illo gestas, accurate conscripserint, hic tantum illorum Catalogum per unumquodque saeculum breviter contexamus, cum quibusdam observationibus, quas P. Dominicus a S. Trinitate subiungit tom. 3. Bibliotheca Theologica.

I. Saeculum.

- 1. D. Petrus, Apostolorum Princeps.
 - 2. Linus Hetruscus.
 - 3. Cletus Romanus.
 - 4. Clemens I. Romanus.
- Hic statim occurrit dubium, quis immediate D. Pe-

tro successerit; aliqui enim volunt fuisse Clementem, ita ut Linus & Cletus Summi Pontifices non fuerint, sed tantum Petri Coadiutores, ob idque inter Episcopos Romanos annuerebuntur: quae sententia licet habeat plures alicujus etiam notae patronos, probabilior tamen est opposita, quae docet Linum Petro, Lino Cletum ac tandem hunc Clementem successisse, de qua vide Baronium ad annum Christi 69.

II. Saeculum.

- 5. S. Anacletus Atheniensis.
- 6. Evaristus Syrus.
- 7. Alexander Romanus.
- 8. Sixtus I. Romanus.
- 9. Telephorus Graecus.
- 10. Hyginus Atheniensis.
- 11. Pius I. Aquilejensis.
- 12. Anicetus Syrus.
- 13. Sother Campanus.
- 14. Eleutherius Graecus.
- 15. Victor I. Afer.
- 16. Zephyrinus Romanus.

III. Saeculum.

- 17. Callixtus I. Romanus.
- 18. Urbanus I. Romanus.
- 19. Pontianus Romanus.
- 20. Antherus Graecus.
- 21. Fabianus Romanus.
- 22. Cornelius Romanus.
- 23. Lucius Romanus.
- 24. Stephanus I. Romanus.
- 25. Sixtus II. Graecus.
- 26. Dionysius I. Graecus.
- 27. Felix I. Romanus.
- 28. Eutychianus Thraecus.
- 29. Cajus Dalmata.
- 30. Marcellinus Romanus.

IV. Saeculum.

- 31. Marcellus I. Romanus.
- 32. Eusebius Graecus.
- 33. Melchisedes Afer.
- 34. Sylvester I. Romanus.
- 35. Marcus Romanus.
- 36. Julius I. Romanus.
- 37. Liberius Romanus.

Post Liberium ponunt aliqui Felicem secundum, quem dicunt post Liberii exilium, vel saltem post ejus mortem, a Clero Romano in summum Pontificem fuisse electum. Alii vero id negant, & censent illum nunquam fuisse verum ac legitimum Pontificem. Unde S. Augustinus & Optatus Milevitanus seriem Romanorum Pontificum describentes, ut inde Ecclesiae Catholicae unitatem & veritatem probent contra Donatistas, Felicem mentionem non faciunt, sed post Liberium statim Damianum numerant. De quo disp. praecedenti art. 1. §. 3. Verum quia Martyrologium Romanum quarto Kalendas Augusti Felicem ait fuisse Papam & Martyrem, qui a Constantio Imperatore Hario ob Catholice fidei defensionem a Sede sua dejectus & occulte gladio necatus, gloriose occubuit, illum in Pontificum serie reponemus.

- 38. Felix II.
- 39. Damasus Hispanus.
- 40. Siricius Romanus.
- 41. Anastasius Romanus.

V. Saeculum.

- 42. Innocentius I. Albanus.
- 43. Zosimus Cappadox.
- 44. Bonifacius I. Romanus.
- 45. Sixtus III. Romanus.
- 46. Leo I. Magnus Romanus.
- 47. Hilarius Sardus.
- 48. Simplicius Tiburtinus.
- 49. Felix III. Romanus.
- 50. Gelastus I. Afer.
- 51. Anastasius II. Romanus.
- 52. Symmachus Sardus.

VI. Saeculum.

- 53. Hormisdas Italus Campanus.
- 54. Joannes I. Hetruscus.
- 55. Felix IV. Beneventanus.
- 56. Bonifacius II. Romanus.

57. Joan-

- 57. Joannes II. Romanus.
- 58. Agapetus Romanus.
- 59. Silverius Campanus.
- 60. Vigilius Romanus.
- 61. Pelagius I. Romanus.
- 62. Joannes III. Romanus.
- 63. Benedictus I. Romanus.
- 64. Pelagius II. Romanus.
- 65. Gregorius I. Magnus Romanus.

VII. Saeculum.

- 66. Sabinianus Tuscius.
- 67. Bonifacius III. Romanus.
- 68. Deodatus, vel Deus dedit, Romanus.
- 69. Bonifacius IV. Neapolitanus.
- 70. Honorius I. Campanus.
- 71. Severinus Romanus.
- 72. Joannes IV. Dalmata.
- 73. Theodorus I. Hierosolymitanus.
- 74. Martinus I. Tuderinus.
- 75. Eugenius I. Romanus.
- 76. Vitalianus Signinus.
- 77. Adeodatus II. Romanus.
- 78. Domnus I. vel Domno, Romanus.
- 79. Agatho Paeromitanus Siculus.
- 80. Leo II. Catanensis Siculus.
- 81. Benedictus II. Romanus.
- 82. Joannes V. Antiochenus Syrus.
- 83. Conon, vel Cuno Trax.
- 84. Sergius I. Antiochenus Syrus.

VIII. Saeculum.

- 85. Joannes VI. Graecus.
- 86. Joannes VII. Graecus.
- 87. Siffinius Antiochenus Syrus.
- 88. Constantinus Syrus.
- 89. Gregorius II. Romanus.
- 90. Gregorius III. Syrus.
- 91. Zacharius I. Graecus.
- 92. Stephanus II. Romanus, a nonnullis omisus, quia die tertia obiit.
- 93. Stephanus III. Romanus.
- 94. Paulus I. Romanus.
- 95. Stephanus IV. Siculus.
- 96. Hadrianus I. Romanus.
- 97. Leo III. Romanus.

IX. Saeculum.

- 98. Stephanus V. Romanus.
- 99. Paschalis I. Romanus.
- 100. Eugenius II. Romanus.
- 101. Valentinus Romanus.
- 102. Gregorius VI. Romanus.
- 103. Sergius II. Romanus. Aliqui hunc primum fuisse tradunt Romanum Pontificem, qui creatus Papa nomen sibi mutaverit, eoque Os perci dicitur, nomen indecens tanto Sacerdotio videtur habere; verum id ad Sergium IV. pertinere dicemus infra.
- 104. Leo IV. Romanus.
- 105. Benedictus III. Romanus.
- 106. Nicolaus I. Magnus Romanus.
- 107. Hadrianus II. Romanus.
- 108. Joannes VIII. Romanus.
- 109. Marinus I. Gellastanus Faliscus.
- 110. Hadrianus III. Romanus.
- 111. Stephanus VI. Romanus.
- 112. Formosus Pertuensis.

Post hunc Papa Onuphrius, & alii ponunt Bonifacium VI. Romanum, quem tamen Cardinalis Baronius negat pro legitimo habitum, quod Sedem invaserit violenter, & dies dumtaxat quindecim detinuerit, ejectus a Stephano sequenti.

113. Stephanus VII. Romanus. Huic etiam Onuphrius, & aliqui alii subjungunt Romanum quemdam Hetruscum, cujus Cardinalis Baronius prolixius non meminit.

- 114. Theodorus II. Romanus.
- 115. Joannes IX. Tiburtinus.
- 116. Benedictus IV. Romanus.

X. Saeculum.

- 117. Leo V. Ardeatinus ex Latio.
- 118. Christophorus I. Romanus, qui creatus Papa 8. Kalendas Julii anno Christi 927. invitatus debuit sedere Pontificatus 9. Kalendas Januarii anno Christi 908.
- 119. Sergius III. Romanus.
- 120. Anastasius III. Romanus.
- 121. Lando Sabinus.

Thes. Const. Tom. IV.

- 122. Joannes X. Archiepiscopus Ravennas.
- 123. Leo VI. Romanus.
- 124. Stephanus VIII. Romanus.
- 125. Joannes XI. Romanus.
- 126. Leo VII. Romanus.
- 127. Stephanus IX. Romanus.
- 128. Marinus II. Romanus.
- 129. Agapetus II. Romanus.
- 130. Joannes XII. Romanus. Primus hic inventus ex Baronio qui mutavit sibi nomen, ut qui ex Octaviano volderit nominari Joannes. Hic interfecit Onuphrius Leonem octavum, Benedictum autem V. sequentem omittit; sed Cardinalis Baronius contra ostendit, Leonem illum illegitime electum, Joanne XII. adhuc vivente; Benedictum vero legitime electum fuisse post obitum Joannis.
- 131. Benedictus V. Romanus.
- 132. Joannes XIII. Romanus.
- 133. Domnus II. vel Domno, Romanus.
- 134. Benedictus VI. Romanus. Hic etiam interfecit Onuphrius Bonifacium VII. quem tamen Cardinalis Baronius tanquam violentum invasorem Pontificatus, negat in ordine Pontificum collocatum fuisse ab antiquioribus.
- 135. Benedictus VII. Romanus.
- 136. Joannes XIV. Papiensis.
- 137. Joannes XV. Romanus.
- 138. Gregorius V. Germanus Saxo.
- 139. Sylvester II. Aquitanus Gallus.

XI. Saeculum.

- 140. Joannes XVIII. Romanus, cui omittitur in numero Joannes XVI. & XVII. vide Cardinalem Baronium tomo II. Annalium ad annum Christi 1002.
- 141. Sergius IV. Romanus. Ab aliquibus tribuitur primum huic Pontifici nomen mutatio, quod prius Osforci, vel Bucca-porci diceretur: verum iam notavimus supra id primum in Joanne XII. contigisse; neque id praestitit hic Sergius ob turpitudinem nominis, sed ob culminis Apostolici reverentiam, cum Petrus ante vocaretur.
- 142. Benedictus VIII. Romanus, ex Tusculanis.
- 143. Joannes XIX. Romanus, dicitur XX. ab aliis.
- 144. Benedictus IX. Romanus.
- 145. Gregorius VI. Romanus.
- 146. Clemens II. Germanus Saxo, primus usus gentilitis insignibus.
- 147. Damasus II. Germanus Bavarus.
- 148. Leo IX. Germanus ex Franconia.
- 149. Victor II. Germanus.
- 150. Stephanus X. Lotharingus.
- 151. Nicolaus II. Episcopus Florentinus eligitur contra Papam Benedictum X. Pseudo-papam, eoque pulso consecratur Roma.
- 152. Alexander II. Mediolanensis.
- 153. Gregorius VII. Hetruscus, antea Hildebrandus dicitur.
- 154. Victor III. Beneventanus.
- 155. Urbanus II. Gallus.
- 156. Paschalis II. Tuscius.

XII. Saeculum.

- 157. Gelastus II. Cajetanus.
- 158. Calixtus II. Burgundus.
- 159. Honorius II. Bononiensis.
- 160. Innocentius II. Romanus.
- 161. Celestinus II. Tuscius.
- 162. Lucius II. Bononiensis.
- 163. Eugenius III. Pisanus.
- 164. Anastasius IV. Romanus.
- 165. Hadrianus IV. Anglus.
- 166. Alexander III. Senensis.
- 167. Lucius III. Lucanus.
- 168. Urbanus III. Mediolanensis.
- 169. Gregorius VIII. Beneventanus.
- 170. Clemens III. Romanus.
- 171. Celestinus III. Romanus, in hoc definit tomo 12. Annalium Cardinalis Baronii.
- 172. Innocentius III. Anagninus.

XIII. Saeculum.

- 173. Honorius III. Romanus.
- 174. Gregorius IX. Anagninus.
- 175. Celestinus IV. Mediolanensis.
- 176. Innocentius IV. Genueusis. Hic primus inter Pontifices purpureo pileo Cardinales exornavit.
- 177. Alexander IV. Anagninus.
- 178. Urbanus IV. Trecentis Gallus.
- 179. Clemens IV. Narbonensis Gallus.
- 180. Gregorius X. Placentinus.
- 181. Innocentius V. Burgundus, Ordinis Praedicatorum, 182. Adria-

- 182. Hadrianus V. Capuanus.
- 183. Joannes XX. Lusitanus: mixtatur aliqui cur ille Joannes dici voluerit XXI. cum nullus precesserit XX.
- 184. Nicolaus III. Romanus.
- 185. Martinus II. Turonensis Gallus.
- 186. Honorius IV. Romanus.
- 187. Nicolaus IV. Afulanus.
- 188. Celestinus V. Eufurienfis, qui raro exemplo, dimissa sponte Pontificia dignitate, ad Monasterium rediit.
- 189. Bonifacius VIII. Anagninus: Cardinalibus S.R.E. purpureas vestes dedit.

XIV. Saeculum.

- 190. Benedictus X. dictus XI. Tarvisinus, Ordinis Prædicatorum.
- 191. Clemens V. Burdigalensis Gallus.
- 192. Joannes XXI. dictus XXII. Cadurcensis Gallus.
- 193. Benedictus XII. dictus XIII. Forpensis.
- 194. Clemens VI. Lemovicensis Gallus.
- 195. Innocentius VI. Lemovicensis Gallus.
- 196. Urbanus V. Mimatensis Gallus.
- 197. Gregorius XI. Neapolitanus Gallus, qui reduxit Sedem ad Urbem.
- 198. Urbanus VI. Neapolitanus: contra quem sedit Avonione Clemens dictus XII. Ante Robertus Gebepensi.
- 199. Bonifacius IX. Neapolitanus.

XV. Saeculum.

- 200. Innocentius VII. Sulmonensis.
- 201. Gregorius XII. Venetus.
- Alexander V. Cratensis, vivente Gregorio XII. Nam cum in schismate contra Urbanum VII. Clementi dicto VII. successisset Benedictus XIII. & haec schismata vellet Concilium Pisum medium adhibere, creavit Alexandrum V. Indeque tres Pontifices simul sederunt. Gregorius XII. in Concilio Constantiensi postea depositus, & Alexander V. interim mortuus & paulo post Joannes XXIII. alias XXIII. Neapolitanus, in Concilio pariter Constantiensi depositus.
- 202. Martinus III. Romanus, qui dictus est V. ab his qui venen Martini, & Martini in serie Pontificum concludunt.
- 203. Eugenius IV. Venetus, contra quem sedit in Gallia Felix V. antea Amedeus Dux Sabaudie, creatus in Concilio Basiliensi.
- 204. Nicolaus V. Lucanus.
- 205. Calixtus III. Valentinus Hispanus.
- 206. Pius II. Senensis, Aeneas Silvius dictus.
- 207. Paulus II. Venetus.
- 208. Sixtus IV. Savonensis.
- 209. Innocentius VIII. Genuensis.
- 210. Alexander VI. Borgia Valentinus Hispanus.

XVI. Saeculum.

- 211. Pius III. Senensis.
- 212. Julius II. Savonensis.
- 213. Leo X. Florentinus.
- 214. Hadrianus VI. Trajectensis Flander.
- 215. Clemens VII. Florentinus.
- 216. Paulus III. Farnesius Romanus.
- 217. Julius III. Aretinus.
- 218. Marcellus II. Politianus.
- 219. Paulus IV. Neapolitanus.
- 220. Pius IV. Mediolanensis.
- 221. Pius V. Alexandrinus Ordinis Prædicatorum.
- 222. Gregorius XIII. Bononiensis.
- 223. Sixtus V. ex Marchia Anconitana.
- 224. Urbanus VII. Romanus.
- 225. Gregorius XIV. Mediolanensis.
- 226. Innocentius IX. Bononiensis.
- 227. Clemens VIII. Florentinus.

XVII. Saeculum.

- 228. Leo XI. Florentinus Medices.
 - 229. Paulus V. Romanus.
 - 230. Gregorius XV. Bononiensis.
 - 231. Urbanus VIII. Florentinus.
 - 232. Innocentius X. Romanus.
 - 233. Alexander VII. Senensis.
 - 234. Clemens IX. Piatoriensis.
 - 235. Clemens X. Romanus.
 - 236. Innocentius XI. Mediolanensis, qui nunc feliciter Ecclesiam regit.
- Circa adductum Summorum Pontificum Catalogum, quatuor breviter observanda sunt. Primum est, ex ducentis triginta sex Pontificibus recensitis, triginta quinque fuisse Martyres, & triginta septem Confessores, Sanctorum Catalogo adscriptos. Secundum, quinquaginta duo e diversis Religioforum Ordinibus ad Pontificiam dignita-

tem virtutis merito fuisse erectos. Tertium, quatuordecim ex illis fuisse ex Gallia, quatuor ex Hispania, quatuor ex Germania, unum ex Anglia, unum e Belgio, quidem ex Græcia, septem ex Syria, tres ex Africa, duos ex Sardinia, ceteros vero omnes, aut patria Romanos, aut natione Italos fuisse. Demum observandum est, nullum ex illis ducentis triginta quinque Pontificibus, huc usque ex aquales dies Petri; immo aliquos fuisse, qui nec integrum mensem, sed nec hebdomadam unam sui Pontificatus compleverint. Nam Stephanus II. dies tantum 4. in Pontificatu vixit, Urbanus VII. dies 7. Bonifacius VI. dies 15. Celestinus IV. dies 17. Siffonius dies 20. Marcellus II. dies 21. Damasus II. dies 23. Pius III. dies 26. Leo XI. dies 29. Cujus rei piam & egregiam assignat rationem Petrus Damianus opusculo 23. c. 1. ubi Alexandrum II. sic alloquitur: Aliquando a me sollicite requisisti, quæ mihi causa videretur, cur Apostolica Sedes Antistes nunquam diutius vivat, sed intra breve temporis spatium autem claudis extremum, adeo ut post B. Petrum Apostolum, qui per quinque dies inter mortuum & sepulchrum Romanorum Pontificum hoc spatium presulatus agnaverit; modeste immo temporibus, vix quæstiam in prædica Sedis culmen acceperit, qui nec unquam quatuor, vel ut multum, quinque mensibus antequam Quod considerantibus prodigialis, ut ita loquar, super observatur, quantum hac breviter vivendi necessitas quantum ad nostram notitiam, in nulla alia vobis Ecclesia reperitur. Sed in quantum mortalibus divine dispensationis servatur arcum, videtur vobis, quid dicitur hoc Judicii celestis ordo disponit, ut humano generi neque mens moris incutiatur, & quam dispicienda sit temporalis vite gloria, in ista gloria principatus, evidenter ostendat; quatenus dum præcipuus hominum sapientia angustis temporis compendio moritur, & transiens quæque ad præstandi sui obitus custodiam proceditur, & error humani generis, dum cacumen ac verticem suum tam facile corrumpit, considerat, statim cunctis formidinis, in suis aliisque manifestis contentis.

Hanc Pontificatus brevitate diligenter inculcat B. Bernardus Epist. 137. ad Eugenium scribens: in omnibus operibus (inquit) momento te esse hominem: & timor ejus qui auctor Spiritus Principum, semper sit ante oculos tuos. Quantum in brevi Romanorum Pontificum moris tuis oculis absenti, id est ad præsentem tui certissima & certissima decessione admoneat; & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem æternæ tuorum navium tibi. Jus proinde meditatione, inter hujus presentis gloria blandimenta memorare novissima tua: quia quibus successisti in Sedem, istis sine dubio sequeris ad mortem, &c.

DISPUTATIO V.

De Sacris Ecclesie Conciliis.

UT omnes fidei regula explicetur, de Sacris Ecclesie Conciliis, eorumque in rebus fidei determinandis infallibilitate, superest nobis breviter differendum. Unde sit

ARTICULUS I.

Utrum Concilium generale, legitime congregatum, & celebratum, in determinando res fidei, errare nequeat, subindeque sit regula infallibilis nostre fidei?

§. I.

Quibusdam præmissis Catholicæ veritatis statuitur,

Suppono primo, Concilium sic definiti posse, Congregatio primorum Ecclesie sub uno certo capite, ad controversias fidei definendas, legesque universales ad totius Ecclesie mores spectantes condendas. Dicitur Congregatio primorum, quia ad Concilium vocari non debent, nisi principales Ecclesie Prelati, cujusmodi sunt Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ, qui soli in eo jus suffragii habent: Abbates vero & Generales Religioforum, non nisi ex privilegio & concessione Pontificum illi intersunt. Vocantur etiam ad illud Theologi & Doctores, non ad legendum suffragium, sed ad disputandum & causas fidei examinandas. Subditur sub uno capite quia non est Concilium, sed conciliabulum quod non est congregatum sub uno certo capite & Pastore Ecclesie, Additur: ad controversias fidei definendas, legesque universales condendas: quibus verbis insinuat causa finalis propter quam solent Concilia cogi. Unde si Prelati Ecclesie propter aliqua negotia secularia congregarentur, non diceretur Ecclesie Concilium.

Suppono secundo, Concilium sic definitum esse quadruplex, nimirum Generale, Nationale, Provinciale, & Dioecesianum. Concilium generale dicitur cui interesse possunt & debent, nisi legitime impediatur, Episcopi totius orbis cum Sede Apostolica communionem habentes, unde dicitur

dicitur etiam œcumenicum, id est totius orbis Concilium, & illi nemo recte præsidet, nisi Summus Pontifex, si cum habeat Ecclesiam, aut alius ejus nomine. Concilium nationale est illud in quo conveniunt Archiepiscopi & Episcopi unius regni vel nationis, cuique præest Patriarcha aut Primas. Talia fuerunt multa ex Conciliis Romanis, Tolentanis, & Africanis, que vocantur interdu Concilia universalis, non quod generalia sunt absolute, sed quia generalia sunt quoad aliquod regnum. Concilium vero provinciale illud est in quo Episcopi unius dumtaxat Provinciae congregantur, cuique præest debet Archiepiscopus, five Metropolitanus. Denique Concilium Dioecesianum dicitur illud in quo tantum congregantur Canonici & Parochi unius Episcopatus, cuique Episcopus loci præsidet; & hoc postremum Concilium vix nomen Concilii meretur, quandoquidem Concilia jurisdictione exteriori gaudere debent: in Dioecesani autem nullus est ordinarius, præter Episcopum, qui hac jurisdictione polleat.

Suppono tertio, Concilia particularia five nationalia five provincialia, non confirmata a Summo Pontifice, posse errare in rebus ad fidem pertinentibus, testis est Cæciliensis Concilium sub D. Cypriano, quod fuit nationale, celebratum, & legitimum Episcoporum 85. quorum plerique Martyres aut Confessores erant, ut colligitur ex Epistola Cypriani ad Jubianum, & tamen erravit, deficiendo baptizatos hac heretice esse iterum baptizandos. Nec mirum, talia enim Concilia non sunt universalis Ecclesie, neque illam representant, nec inventum promissionem aliquam eis specialiter factam infallibilitatis. Ea propter heresis Pelagiana a Concilio nationali Africano 417. Episcoporum damnata, non prius ab universalis Ecclesie damnata est, quam Zosimus Papa decreta illius Concilii confirmasset, ut refert D. Prosper in Chronico, & D. Augustinus 1. 2. retract. cap. 20. non dicit heresim Pelagianam ab Africanis Conciliis que particularia erant damnatam, sed a Pontificibus Innocentio & Zosimo, cooperantibus Africanis Conciliis.

Denique, ut certum supponimus, Concilium generale illegitimum posse errare, subindeque non esse regulam fidei: ut patet ex Ariminensi sexcentorum Episcoporum, non coacto auctoritate Summi Pontificis, in quo approbatus fuit Ariianismus, Ephefino secundo auctoritate Theodosii junioris, a Dicofo Alexandrino celebrato, quod sprevit Legatos Pontificis, & favit Eutychei: Constantianopolitano in Trullo, quo can. 2. approbavit Synodum Cypriani de rebaptizandis hæreticis, & aliisque multa perperam statuit: altero Constantianopolitano sub Leone Armeno anno 814. damnante cultum scolarum Imaginum, reluctans Nicolai Papæ Legatis: qui etiam cultus damnatus fuit ab altero Concilio 339. Episcoporum, coacto a Constantino Copronymo.

Solum ergo difficultas est, an Concilium generale, legitime congregatum & celebratum, cui Summus Pontifex per se vel per suos Legatos præsentis adest, non possit errare in his que definit esse tenenda fidei divina, subindeque sit infallibilis regula fidei? Id enim negant hujus temporis hæretici, contendentes Concilia generalia, etiam legitime congregata, & a Summo Pontifice approbata, esse errori obnoxia. Pro cujus errore impugnatione

Dico breviter, Concilium generale, legitime congregatum & celebratum, non posse errare in determinando res fidei, subindeque illud esse infallibilem fidei regulam. Colligitur ex Scriptura: Dicitur enim Matthæi 18. ubi fuerit duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: Sed Concilium legitime congregatum, est congregatum in nomine Christi: igitur in medio ejus præsidet Christus sua infallibili assistentia. Item Actor 15. dixerunt Apostoli: Visum est Spiritui Sancto & nobis &c. Quibus verbis non obscure significatur, Conciliorum definitiones esse a Spiritu Sancto, & a proinde infallibiles. Favent etiam Sancti Patres, specialiter S. Gregorius libro 1. Epistolatum, Epist. 24. ubi dicit se venerari quatuor Concilia generalia (videlicet Nicænum, Constantinopolitanum, Ephefinum, & Chalcedonense, que ipsum præcesserant) sicut quatuor Evangelia.

Ratio enim suffragatur: De fide enim est, Ecclesiam universalem errare non posse in credendo & docendo, illa enim est columna & firmamentum veritatis, contra quam porta inferi nequeunt prevalere, ut supra ostensum est, disp. 3. art. 1. Atqui si Concilium generale, legitime congregatum, & celebratum, errori obnoxium esset, eo ipso erraret universa Ecclesia in credendo & docendo, cum tale Concilium universalem representet Ecclesiam, & tota Ecclesie auctoritas in eo sit; adest enim Summus Pontifex per se, vel per suos Legatos; & Episcopi, qui sunt Ecclesie Principes, & nobiliores ejus partes seu membra, ei assistunt: Ergo, &c.

Confirmatur: vel Ecclesia omni regula viva & iudice controversiarum sufficienti destituta est (quod quam sit absurdum supra ostendimus disp. 3. art. 1. vel in Concilio generali legitimum, id est capiti & præcipuis membris Ecclesie totam representantibus, concedi debet: neque enim Theol. Genes, Tom. IV.

hæc regula potest esse totum corpus Ecclesie, ut comprehendit omnes Catholicos, propter impossibilitatem omnes cogendi vel consulendi, & propter alia multa, que loco citato adduximus.

Addo quod si Concilia generalia legitime congregata, & auctoritate Summi Pontificis confirmata, errori obnoxia essent, possent in dubium revocari omnes in illis hæreses damnata: possent dicere Arius, errasse Nicænum, Macedonius Constantinopolitanum, Nestorius Ephefinum, Eutyches Chalcedonense, sicque omnes fopite hæreses & extincte ex suis cineribus resurgere, & quatuor prima illa Concilia nullo honore digna essent, cum tamen ea videamus etiam ab Adversariis cum honore fuscipi, & D. Gregorius supra relatus testetur, se non minus illa quam quatuor Evangelia venerari.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra istam conclusionem objicit primo Calvinus in suis institutionibus c. 8. de fide n. 161. Augustinus contra Maximum lib. 3. c. 14. docet non Concilium, sed Scripturarum auctoritate de rebus fidei certandum esse, sic enim habet: Nec nunc ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus proferre Concilium: nec ego hujus multitudine, nec tu illius destitutus; Scripturarum auctoritatibus, non quorumcumque propriis, sed utriusque communibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione, concordet: Ergo censet Concilia generalia, legitime congregata & celebrata, & a Summo Pontifice confirmata, non esse infallibilem regulam fidei, sed illi errori obnoxia esse. Unde lib. 2. de Baptismo c. 3. dicit Concilia plenaria priora, a posterioribus emendari.

Respondeo primo, Calvinum sibi ipsi manifeste contra id dicere, ac seipsum ut ita dicam jugulare, cum loco citato num. 154. de antiquis Conciliis hæc scribat: Venero ea ex animo, jusque in honore apud omnes esse cupio.

Respondeo secundo, Augustinum eo loco Concilium legitime congregatis, & a Pontifice confirmatis, in sentiendis rebus fidei auctoritatem non negare, cum ipsis tantam tribuat, ut ne ipsi quidem Evangelio se crediturum fateatur, nisi Catholice Ecclesie ipsum commoveret auctoritas, contra Epistolam fundamenti c. 5. Sed cum controversia esset inter ipsum & Maximum Ariam, qui Nicæni Concilii in quo definita fuit Filius Dei consubstantialitas, ea que novo vocabulo Homousios explicata, auctoritatem non admittebat; cumque ex alia parte in Concilio Ariminensi, ob pravitatem aliorum Episcoporum Ariarum, rejectum fuisset ob vocabuli novitatem, nomen Homousios, & Maximum Nicæno Concilio, Concilium Ariminense opponeret, D. Augustinus videns non esse consumendum tempus in ostendendo quod Concilium Nicænum erat legitimum, & Ariminense illegitimum, quia habebat argumenta ex Scriptura magis efficacia, dixit: Nec ego hujus, nec tu illius auctoritate destitutus: id est non vis teneri Concilii Nicæni auctoritate quam tibi objicio, nec ego Concilii Ariminensis quod opponi Nicæno: omitteram ergo Conciliorum auctoritatem, & ad Scripturas veniamus.

Ad id vero quod ex eodem Augusti lib. 2. de Baptismo subditur, dicendum est, ipsum ibi non loqui de fidei doctrina, sed de questionibus facti, qualis erat questio præcipua Catholicorum cum Donatistis, contra quos ibi disputat, an nimirum Cæcilianus libros sacros tradidisset hostibus Ecclesie: in his vero & similibus facti questionibus, Summum Pontificem & Concilia non esse infallibilia, omnes fatentur. Unde potest unum Concilium, etiam confirmatum, in definitionibus talium questionum, emendari ab alio.

Obijciunt secundo hæretici: Plura Concilia etiam in rebus fidei erraverunt: Ergo illa non sunt regula infallibilis nostre fidei. Consequenter patet. Antecedens variis exemplis demonstratur. In primis enim (inquit) Pontifices Judæorum erraverunt in Concilio contra Christum inito Joann. 11. versu 47. Secundo, Concilium Neocæsariense confirmatum a Leone IV. videtur errasse damnando secundas nuptias, iis verbis que habentur fest. 7. Presbyter convivio secundarum nuptiarum interesse non debet: cum precipiatur secundis nuptiis penitentiam tribuere. Tertio, Concilium Nicænum primum docet (inquit Lutherus) & rebaptizandos esse Paulianus hereticos. Quarto, Concilium Arelatense secundum, receptum in Ecclesia, can. 2. sic habet: Assumit aliquem ad Sacerdotium in vincula conjugii constitutum, nisi fuerit promissa conversio, non oportet. Quibus verbis Concilium damnare videtur conjugium, cum enim non sit conversio nisi a malo, jubere quod conjugium converteretur, est conjugium damnare. Denique Concilium Toletanum primum, approbatum a Beato Leone, can. 17. dicit posse admitti ad communionem eum qui concubina habet, modo non sit uxoratus.

Respondeo negando Antecedens, & ad primam illius rationem dico, Pontifices Judæorum errasse quidem in